

1812

DE  
**JODI VI MEDICA.**

I  
DISSERTATIO PHARMACODYNAMICA,

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM  
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM

**DOCTORIS, MEDICINAE**

RITE ASSEQUATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**GEORGIUS DANIELUS SCHÖNJANN,**

PETROPOLITANUS.

56674

**PETROPOLI.**

TYPIS CAROLI KRAY.


MDCCKXXXIX.

16153

### IMPRINATUR

hac conditione, ut priusquam edatur dissertatio numerus legitimus exemplorum collegio libris explorandis constituto tradatur.

Dr. Volkmann,  
Prof. Med. Ord. h. t. Dec.



459302

### PRAEFATIO.

Jodum, remedium temporibus novissimis inventum, cuius vires a multis medicis optimis examinatae sunt, jam locum sibi in materia medica certum ac nobilem vindicavit, quem non facile alii cuiquam medicamini cedit. Jam enim remedia quaedam, in pharmacologiae compendiis ab uno loco ad alterum incerte vagantia ut non necessaria et superflua expulit. Lectorem benevolum sane non fugit, me de spongia usta, de helminthochorto et de aliis plantis marinis congregatis sermonem facere, quorum remediorum licet unum alterumve utile se praebuerit, antequam jodum cognitum esset; constantia tamen atque securitate effectus, nostro remedio ea omnia cedere quis est, quin sciat? An quemquam ullo tempore cuiusvis eorum dosin aptam et certam constituisse putabimus, quin experiendo eam cognoverit? Nonne cum principio efficaci valde occulto copia aliarum rerum maxime inconstantium, effectus ignoti simul ingerenda erat, quae et patienti ob nimiam molem, rebus corrigenibus ne-

cessario adauctam molestias afferebant, et medicum ob effectum saepe non optatum ab applicatione ulteriore retinebant. Principio autem efficaci ab omnibus aliis rebus admixtis separato jam non quaerimus nec qua ex orbis terrarum regione remedium nobis advenerit, nec qua sit aetate, uti antea fieri solebat, quum in ipso corpore humano tentanda essent ista medicamina, sed ita sumus constituti, ut viginti annorum experientia et formas et additamenta nos docuerit optima et sufficientia.

Praeparata usitatissima sequentia sunt:

### PRO USU INTERNO.

1. Tinctura jodi, ex jodi gr. xlviij in spiritus vini rectificati ℥j solutis. Dosis 5—25 guttae cum aqua saccharata seu cum syrupo aliquo—forma non optima ob facilem jodi separationem.

2. Solutio kali hydriodici, ex hydrate kalico cum jodo, sive ex kali carbonico cum jodo, s. ex hydrate kalico cum acido hydriodico parati; praeparatum, cujus salis partes centum et triginta jodi partes centum continent, laudatam, quod tamen cavendum est, ne kali causticum purum vel kali jodicum contineat, quorum hujus praesentia evitari potest, si ex acido hydriodico et hydrate kalico paratur. Dosis hujus salis gr. xxxvj in aq. destill. ℥j soluti gutta. 10—30 est.

3. Quae quidem solutio quum adhuc partem jodi tertiam solvat, solutio paratur gr. xxxvj kali hydriodici in aq. destill. ℥j, cui addantur jodi puri gr. x—kali hydriodicum joduratum, forma optima

a clis. Coindet, etc. laudata; dosis est 5—15 guttae; hujus imitatio in praeparatis Lugolii cli. invenitur, quae sunt:

4. Aqua mineralis Lugoliana trium graduum: a. ex gr.  $\frac{3}{4}$  jodi, kali hydriodici gr.  $1\frac{1}{2}$  in aq. destill. ℥vjjj; b. ex jodi gr. j cum kali hydriodici gr. jj in eadem aquae quantitate; c. ex jodi  $jj\frac{1}{2}$  cum kali hydr. gr.  $jj\beta$  in eadem quant. aquae. *Prima dosis*, quam vir doctissimus porrigere solebat, fuit dimidium secundae solutionis pro die, tunc sequebatur tota prima, deinde tota secunda et tandem tota tertia. Quo praeparato cl. Lugol omnes fere sanationes effecit.

5. Solutio natri hydriodici, ex zinco hydriodico cum natro carbonico, praeparatum parum usitatum, plerumque ferri partibus quibusdam inquinatum.

6. Acidum hydriodicum secundum Buchanan. celeb. *Re.* jodidi potassae gr. 330, acidi tartarici gr. 264. Solvantur seorsim in aquae destill. ℥jβ, Misceantur solutiones et quum subsederit bitartas potassae, cola. Colato adde aquae quantum sufficiat, ut sint totius liquoris ℥l. In singulis drachmis acidum hoc habet jodi gr. v. Praeparatum optimum.

7. Amylum joduratum secundum eundem: *Re.* jodi gr. xxvj, amyli in pulverem tenuissimum triti ℥j; tere jodum cum pauxillo aquae, et amyllum paulatim immisce; servetur pulvis lenissimo calore exsiccatus in vase bene obturando, cujus praeparati satis boni doses magnas adhibere licet.

### PRO USU EXTERNO.

8. Unguentum de jodo secundum cl. Lugol

	I.	II.	III.	IV.
jodi gr.	xj,	xviii,	xxj,	xxvj,
kali hydriodici	℥j,	℥ij,	℥ij,	℥ij,

adipis suillae s. secundum Marder stearinae ℥ij.

9. Solutio jodi pro injectionibus et lotionibus,

	I.	II.	III.
jodi gr.	ij,	iiij,	jv,
kali hydriod. gr.	jv,	vj,	viii,

aq. destill. libra j.

10. Lignor jodi rubefaciens: Rc. jodi ℥β, kali hydr. ℥j, aq. destill. ℥vj; servetur in vitro nigro, epistomio bene clauso; pro balneis in alveis ligneis, pro cataplasmatibus etc.; alias balnea ex jodi ℥jj—℥β cum kali hydriodici quantitate duplici parantur.

11. Lignor jodi causticus. Rc. jodi ℥j, kali hydr. ℥ij, aq. destill. ℥ij pro cauterisatione ulcerum marginibus callosorum.

12. Emplastrum jodatum Rc. kali hydriodici ℥β—j, empl. mercurialis s. saponati ℥ij, malaxentur.

Si in secreto aliquo jodum invenire vis, secreto nonnihil acidi sulphurici addas, cum kali, si adest, se conjungentis, et tum aliquantum solutionis amyli. Jam amyllum cum acido hydriodico habebis, cui aliquid calcariae chloratae admisceas. Hydrogenium acidi hydriodici cum chloro, ex calcaria chlorata se evolvente, se conjunget, dum jodum purum cum amylo fluidum coloris coerulei vel

violacei vel nigri edit. (Wallace) Alias experimentum cum hydrargyro oxydulato nitrico institui potest, quo, liquori kali hydriodico praedito admixto, pars ejus salis 28800ma in sedimento flavo agnoscitur. (Kemp, Schmidt's Jahrbücher.)

Ad jodum ex balneis jodatis separandum ferri sulphurati partes jjβ in aquae destillatae partibus xij solutas balneo infundas, quo facto sedimentum in filtro colligendum separabitur; cujus quinque partes cum duabus mangani oxydati et tribus partibus acidi sulphurici diluti mixtae usque ad siccitatem destillentur. Tali modo ex balneo, kali hydr. ℥j cum jodi puri ℥β continenti, jodi ℥viiiβ separatae sunt.

Jodum vel aliquod ejus praeparatum citatum, ventriculo hominis valetudine secunda praediti immissum, ibidem sensationem caloris gratam producit, appetitum ad cibos ingerendos excitat, actum secretionis minore in gradu adauget, praecipue alvi, transpirationis cutis, urinae et in membraniamucosis mucii. Itaque vitalitas in genere augetur, tam in systemate nervoso, alacrius et vegetius res externas percipiente, quam in systemate vasorum, validius in illas agente, idque eo in gradu, qui valetudinem potius firmet quam turbet. Simul, quae actionem acceleratam necessario sequitur, resorptio adaucta observatur, in glandulis lymphaticis praecipue et in membraniamucosis se offerens, dum exhalatio fortior antagonistica partium fluidarum organis ei destinatis committitur. Secreta autem jodum continent et quidem pro celeritate discernendi et pro copia jodi ordine sequente a Wallace el. reperto: in urina jam tempore brevissimo post applicationem internam jodium reperitur; deinde in sudore; tum in saliva (quod vero non satis comprobatur, quia jodum in cavitate oris relictum salivae admisceri potuit), tum in lacte lactantium et denique in lactentium urina.

Jodo majori in dosi porrecto symptomata affectae ventriculi superficiei magis in conspectum veniunt, appetitus non raro bulimus redditur, qui plerumque non certis temporis intervallis redit. Homines sensiliores non raro jam nunc affectionem ventriculi ingratham percipiunt, sensum oppressionis, tractionis, tensionis, nauseam, ciborum fas-

tidium, vomiturationem ad ipsum vomitum incrementem, adaucta simul vel imminuta alvi excretionem. Quae quidem alienatio nervorum ventriculi facile et libenter in totum nervorum systema extensa sensibilitatem mutatam, praecipue vero receptivitatem adauctam efficit. Patientis saepe vel minimis incitamentis antea consuetis ingrate afficiuntur, omnia multo magis sentiunt; accedunt tremor extremitatum, convulsiones, spasmi, neque vero animus non turbatur, quod moestitia, tristitia, solitudinis desiderium testantur. Haec tamen symptomata in hominibus systemate nervoso valde sensibili praeditis potissimum conspiciuntur, quum effectus gravissimus hujus jodii applicandi gradus in systemate vasorum manifestetur. Pulsus arteriarum redduntur frequentes, pleni, fortes, dum omnia symptomata, actionem vasorum majorem indicantia, et aliis in organis se offerunt, ut turgescencia cutis faciei, splendor et vivacitas major oculorum, interdum cum visus hallucinationibus, scintillis, mouches volantes sic dictis; praeterea congestiones sanguinis in caput, cephalaea, animus inquietus, syncope, somnus turbatus, motus musculorum spasmodici, tremor manuum, ingressus vacillans, nictitatio; congestiones sanguinis in pulmones et in cor, ex quibus dyspnoea, dolor pectoris, pleurodynia et in hominibus systematis vasorum irritabilis non raro haemoptysis et pneumonia vera, anxietas, cardiopalmus, pulsus cordis irregularis exoriuntur; tum congestiones in organa pelvis, praecipue in uterum et rectum, interdum cum sanguinis fluxu ex hisce organis; — in genere omnia symptomata

actionis inflammatoriae organorum, quae a nonnullis symptomata jodica vel symptomata corporis jodo saturati dicuntur. His demum symptomatibus die secundo usque ad sextum remittentibus, simul cum secretione critica vel urinae, vel alvi, vel salivae effectus jodi adhibiti peculiari resorptione valde adaucta materiarum morbose depositarum manifestantur. Attamen gradus hic applicationis jam magnam cautionem exposcit, quia symptomata antea citata interdum gravia evadunt, et non raro incitatio a jodo in vasis producta tantum abest, ut resorptio augeatur, ut antequam fieri possit, inflammatio materiarum illarum in suppurationem tendens provocetur. Neglectis his symptomatibus si jodum adhibere pergis, sensibilitas maxima fit, Somnus vel turbatur vel pervigiliis cedit, accedunt infirmitas universalis, relaxatio ac torpor membrorum eorumque tremor, acceleratio magna pulsuum, cardiopalmus eaque omnia cum caractere debilitatis, tussis sicca jactans, emaciatio celeris, hydrops, apthae, ptyalismus etc.

Dosis vel magis etiam adauctis vel citius se excipientibus jodum vim corrosivam exhibet, superficies contactas corrodit eoque inflammationi ansam praebet, quae facile in organa pectoris et praecipue in pulmones, irritatione magna systematis vasorum effecta transit. Febris vehemens et affectio illa vegeta systematis nervosi tunc exitum lethalem gastritidis, intoxicatione adductae, modo accelerant.

Dosis remedii nostri ad provocandum unum vel alterum effectus gradum apta non facile definiri poterit, quia quae hunc aegrotum vix afficit jodi

copia, eadem in altero jam incitationem vasorum majorem quam qua opus sit, producit. Et hic illud probatur: remedium vel efficacius, dummodo re vera indicatum sit, sine ulla molestia perferri; morbus scilicet praesens absorbet quasi remedium sibi contrarium. Quo enim alio modo casus illi explicarentur, in quibus brevi tempore plures jodi unciae consumtae sunt, nullis tamen ne minimis quidem symptomatibus malis observatis, quae quidem statim accedebant, quum extincto morbo jodi usus continuabatur.

Jodum quavis via inductum, symptomata antea descripta producere posse facile est ad intelligendum. Clr. Lugol nos edocet, balneis saturationem corporis cum jodo perfectissimam effici posse, qualis vix in usu interno observetur, quippe qui mox symptomatibus corrosivis interdicatur. Qui vero effectus, partem tactam corrodens, etiam in cute observatur, adhibito jodo vel in forma unguenti vel balnei: nam saepe jam primam inunctionem dolor, calor, rubor et eruptio exanthematis vel vesiculosi vel pustulosi sequuntur, quae antequam omisa sit inunctio, non evaescunt; balnea autem pruritus corporis vehementem et sensibilitatem cutis magnam relinquunt — quae eadem symptomata et aliis remediis acerbis applicatis observantur.

Remedium hoc excellens, commendatione cli Coindet tam benigne a medicis in morbis ab inventore ei designatis exceptum, breve tempus laete florens fortunam cum multis aliis communem eam habuit, ut ei adversarii exorirentur, qui observationibus partim veris partim falsis nitentes illud re-

medium parum certum, infidum, noxium; periculosum denique plane rejiciendum esse contenderent. Ita incusatum est in struma curanda incertum, quippe quam non semper tollat, ut noxium, quia non raro struma, jodo tractata intumescat et inflammetur, quam ob rem remedium istud relinquendum sit, vel quia, et si mutationes quaedam ipsa in struma animadvertantur, simul cum his cymptomata periculosa obveniant, ut haemoptysis, febris, vel spasmi epileptici, quos Durr Hallensis in puella vidit, vel atrophia mammarum et testium, — en causas ad remedium timendum sufficientes. Ne autem a jodo postulemus, quod materiae medicae medicaminibus abundantis medicamen nullum nobis praebere valet; ne quacramus remedium, quod morbo alicui omnibus temporibus medeatur; ut paucis dicam, ne specifica cupiamus, quae nunquam exstitisse jam omnibus in confesso est. Praeterea facultas illa strumae sanandae pro lege esse non potest, ut quae in casibus aliis alia omnino sit natura et tantum volumine glandulae thyreoideae quoque in casu adaucto dignoscatur. Nos vero nunc effectus jodi in organismum in genere scientes, conditiones nobis abstrahamus, sub quibus facillime symptomata noxia et periculosa expectari queant, i. e. videamus, quibus in casibus jodum contraindicatum sit.

1. Primum locum contraindicationum quae vocantur sensibilitas magna systematis nervosi sibi vindicat; scimus enim, minimas jodi doses jam sensibilitate exaltata, ut in hysteria et hypochondria interdum symptomata tam molesta produxisse,

ut remedii usus sine ulla mora intermittendus esset, ne tota illa symptomatum antea dictorum series patientem corripere. Quae quidem praecipue valent, si

2. una cum illa sensibilitate adaucta irritabilitas vasorum exaltata est, quo in casu, et si alia, attamen nihilominus ingrata symptomata accedunt. Hinc et illae haemorrhagiae, quas jam Hufeland commemorat, non raro observatae, ex pulmonibus praesente diatesi phthisica, hinc sanguinis fluxus ex intestino recto in diatesi haemorrhoidali et ex utero. Quare has facere liceat subdivisiones:

- a. Diathesis in phthisin tuberculosam, Nam facile jodo tali corporis constitutione sanguis in pulmones congeritur, in quibus jam antea circulatio sanguinis plus minusve impedita erat; unde exoriuntur difficultates respirandi, dyspnoea, tussis cum dolore punctorio, haemoptysis, vel haemorrhagia.
- b. irritabilitas magna vasorum uteri organorumque vicinorum, nec non tempus menstruationis et graviditatis. Etsi negari nequit, secundum observationes virorum doctissimorum Lugol, Kurtz etc. jodum nullo modo actionem vasorum uteri instigare nec in genere eam attingere, tamen ad aliorum etiam medicorum non minus expertorum observationes animum advertere oportet, quae statim uteri religioso animo perpendendum esse confirmant. Et nihil quidem tam bene explicari potest quam haemorrhagia illa ex utero facta si irritabilitatem

uteri interdum valde exaltatam respicimus, praesertim tempore menstruationis quo in foeminis nonnullis quodque excitans etiam lenissimum jam haemorrhagiam provocat. Quo quidem corporis statu non est, quod jodum, cujus vires irritantes maxime praevalet, profluvium sanguinis excitare nequeat? Contra haec casus cli. Colley nihil demonstrare valet, qui foeminae, quam gravidam esse nescivit, jodum dosi satis magna ad discutiendam strumam porrexit, nec ullam sequi vidit uteri irritationem. Vis enim constitutionis in superandis influxibus adversis omnibus magis nota, quam ut de ea monendum sit nisi verbo.

c. diathesis haemorrhoidalis in genere, nec non periodus profluvii haemorrhoidalis nervorum recti statu irritabili. Quum autem recti intestini profluvium sanguineum raro tantummodo periculosum evadat, morbi vero jodi usum indicantes interdum lethales sint, jam ob dignitatem minorem morbum priorem interdum negligamus necesse est, ne altero morbo graviore patiens enecetur.

3. Plethora sanguinea universalis, qua praesente vis jodi excitans saepe symptomata ingrata nec non periculosa adducere potest.

4. Diathesis inflammatoria.

5. Inclinatio in diarrhoeam, quae jodo augetur, tractu intestinali irritabili.

6. Status febrilis.

7. Potatores facile jodo utentes febrī corripiuntur.

Usu jodi interno abstinendum est praesente nervorum ventriculi sensibilitate magna, nec non praesentibus vitis organicis tam ejusdem organi, quam hepatis et lienis, in quibus facile inflammationes chronicae exoriuntur.

Itaque jodum medicamen resolvens est, quod vero per ambages solummodo vim suam manifestare potest, nempe exaltata actione vasorum. Est igitur remedium excitandoresolvens, cujus vis resolvens secundaria incitationem vasorum relaxatorium sequitur, quorum quidem tonum non remedium tonicorum ratione constanter elevat et confirmat, sed quae ad vitam alacriorem excitat, qui effectus turgore exaltato praecipue venarum ut organorum resorbentium manifestatur. Resorptione illa vegeta deposita morbosa praesertim in glandulis lymphaticis evanescere et corpus marcescere videmus. Cur autem deposita ista morbosa prius evanescent, Clarus Lipsiensis fortasse rectissime eo explicat, quod illis gradus vitalitatis, ad resorptioni delenti resistendum necessarius desit quo organa primae formationis excellunt. Certe non omnes effectus jodi in jodismo sic dicto pro symptomatibus ventriculi irritati habendi sunt, ut nonnulli dicunt; sed potius credendum, materiam resorptam sanguinem circulantem adire ibique vasa excitare.

Dosi majore prorectam jodum venenum corrosivum est.

Morbi, quibus jodum hac vel illa forma a medicis cum successu oppositum est quosque in libris mihi promptis citatos reperi, sequentes sunt:

I. Struma. Morbus glandulae thyreoideae, ut jam supra dixi, maxime varius. Forma frequentissima strumae lymphatica est, in qua hic etiam praecipue versabimur. Constat autem in glandulae sive partis ejus alicujus intumescencia eo effecta, quod nutritione perversa eoque aucta acini singuli ultra normam amplificantur, nec non lymphae plastica, inter acinos exsudata, in telam cellulosam densam mutata glandulam compactam et elasticam reddit. Quae quidem intumescencia ut insignem magnitudinem attingere potest, ita pari passu et molestiae augeri solent, quae necesse est maximae evadant, struma in evolutione sua decursum arteriae asperae sequente, quum ibi resistente sterno omnis struma tracheam comprimant eamque ad angustiam periculosam constringere valeat. Descriptio ulterior hinc non pertinet, quum ex iis, quae dixi, forma strumae lymphaticae cognosci posse videatur. Quod malum apud nos tam rarum, aliis vero in regionibus frequentissimum, contentis perscrutationibus de originis conditionibus institutis medicis studentibus usque ad nostra tempora praemium meritum non solvit. Nobis solummodo causae occasionales nonnullae prostant, quarum una, aqua dura quibusdam in regionibus satis mirabilis, effectu tamen tam perspicuo est, ut negari nequeat. Est autem et causa occasionalis ea, quae rationem causae et effectus minime aperiat, et functio organi morborum tam occulta, ut modum curandi rationalem plane impossibilem reddat. Quamobrem quum medicamina empirica ei obijciantur necesse sit, quivis certe medicus felicem se

aestimat, quod jam commendante cl. Coindet remedium experientia probatum habeat, quo, modo ne incaute agat, patientem morbo molestissimo liberare valet et quod efficit, ut remediis aliis empiricis non tam bene exquisitis supersedere possit. Obijciat aliquis, remedium maxime rationi conveniens, licet aetiologia strumae nobis non nota sit, ligaturam arteriae glandulam thyreoideam nutriendis esse, quam aut sublata omnino nutritio, aut maximo in gradu restricta sequatur necesse sit. At vero et his de rebus experientia judicium tulit; nam etsi successus ligaturae bonus et in hac strumae forma negari non possit, tamen scimus, strumam raro tantummodo ligatura facta omnino evanescere, residuum vero jodo superandum esse. — Eodem modo si strumae permagnae exstirpatio indicatur, usus jodi congruus praemitti potest, quo strumae volumen imminuatur et cultri officium allevetur.

Parum interest, qua forma jodum applicetur, num forma tincturae vinosae, vel solutionis kali hydriodici, vel kali hydriodici jodati, an forma acidi hydriodici puri, vel quod a multis omnibus aliis praefertur, forma unguenti, si unicus finis applicandi jodi struma est, vel hac vel alia via removenda. Quum autem viderimus, quanta incommoda usum jodi internum non tantum molestum, sed etiam periculosum et interdum, quia nullo modo perfertur, plane impossibilem reddunt, quumque applicationis externae via jam patefacta sit, egomet in morbo mere locali, qualis struma haberi potest, nisi symptomata alia simul existant, unguentum jodatam praefendum esse censeam, nisi forte cu-

TRU Reumatology

us nimis irritabilis usum hunc vetet. Nam in usu externo multa momenta, usum internum prohibentia, omnino non respicienda sunt. Struma ceteroquin nullam regularum de applicatione jodi generalium mutationem exposcit; quum licet plurima experimenta cum tinctura eli. Coindet facta sint, nunc tamen alia etiam cum praeparatis aliis instituta etsi minus numerosa, non tamen infaustiora illis opponi possint, ita ut morbus hic per se in eligenda remedii forma nos nullo modo restringat.

Haec de struma lymphatica sufficiant.

2. Asthma thymicum, cujus morbi causa plurimis obductionibus factis volumen permagnam glandulae thymi cognitum est, vel in statu foetali remanentis, vel postea crescentis, sine dubio remedium nostrum, aliis in glandularum morbis probatum in auxilium vocat. Est sane difficillimum ad intelligendum, cur nihil efficiat, hic ubi actus naturae physiologicus, quo glandula thymus evanescere debet, solummodo adjuvandus est. Attamen experimenta de jodi hoc in morbo usu instituta adhuc parum prospere cesserunt, nonne vero quia perpauca fuerunt?

3. Amenorrhoea ex structura membranae uteri internae densa, quasi cicatricosa. Quod vitium foemina vivente fere nunquam omni cum securitate cognosci potest, cui vero unicum fortasse remedium jure opponi potest jodum. Cur enim ex ejus vi textum relaxante, aliis in morbis similibus satis comprobata, hoc in casu ex analogia eventus similis non sit exspectandus? Attamen res adhuc semper problema nondum solutum est, ob diagnosis

difficillimam, et quidem obductione ipsa non acquiram, nam fieri potest, ut malum adhibito jodo in sectione non repertum vel jodo sublatum sit vel nunquam exstiterit; si vero adest, jodo non deletum, jodum fortasse per tempus non satis longum vel forma inepta adhibitum erat, nec ideo jure incusari poterit. — De usu jodi ut remedii emenagogi nihil dicam, quia effectus hic non omni ex parte probatus et explicatus est, et quia nobis remedia alia efficaciora hac in re praesto sunt.

4. Indurationes benignae mammarum.
5. " " " ovariorum.
6. " " " testicularum, denique
7. " " " hepatis et lienis.

Qui morbi, tam saepe residua pertinacia inflammationis antecedentis, vel producta vegetatio- nis organi turbatae cito et facile, actione inflammatoria extincta, usu jodi vel topico vel universali remouentur, quae etiam

8. de intumescendis glandularum rheumaticis valent.

9. Hydrocele. Velpeau cl. primus tincturae jodi drachmam unam usque ad duas cum aquae destillatae uncia una cavitati tunicae testiculi propriae injiciebat, qua ratione multos patientes sine ullo damno sanavit. Postea Ricord celeb. tincturae jodi drachmam unam cum aquae destillatae unciis tribus mixtam externe applicans, eodem eventu gavisus est.

10. Hydropes atonici secundum observationes Schroederi van der Kolk jodo tollantur, quod non

mirum videbitur praecedentia respicienti, quum incitatio vasorum resorbentium relaxatorum jodo adducta, eventum faustum promittat. Hic et tincturam Coindet porrigere possumus, nisi majores doses adhibeamus, quo in casu tinctura facile dissolvitur. Quae adhuc cum jodo instituta sunt experimenta, praecipue hydropem ascitem jodo vinci docuerunt, cui character atonicus plerumque proprius est.

11. Exanthemata herpetica. Quae ad sananda jodum restaurando processu vegetativo multum confert. Commendatum est a Colley, Kurtz etc.

12. Salivatio ex abusu mercurii. Observationes et commendationes etc. Helmenstreit jodi usum hoc in morbo praedicantis aliis etiam medicis peritis comprobantur. Attamen non quoque casu solo jodo morbus tollendus, sed aliarum semper secretionum status, et praesertim glandulae parotidis respiciendus est; nam in irritatione glandularum salivalium adhuc dubium videtur, num jodum porrigendum sit nec ne; ita tamen ut inter omnes constet, minime ea de causa propinandum esse, quod specifico modo in intoxicationem mercurialem agat. Mercurius relaxationem omnium organorum, praesertim eorum, quae membranis mucosis praedita sunt, producit; quum contra jodum vitam illorum excitet, itaque membranas et vasa mercurio relaxata denuo in statum normalem reducat, unde sequitur, jodum tam contra hunc mercurii effectum, quam contra diarrhoeam, et exanthemata, et ulcera mercurialia auxilium praebere posse. Num vero effectus ille jodi benignus et in morbis ossium

manifestetur, id suspicari quidem, nondum autem experientia demonstrari licet. Res eo imprimis dubia redditur, quod remedium nostrum, alias optimum antiscrophulosum, in morbis ossium eademque ex dyscrasia profectis vim suam excellentem aegre et vix dum exercit.

13. Scirrhus et cancer. Si verum est, scirrhum remedio aliquo nobis noto resolvi et resorptioni tradi posse, qua de re major medicorum pars dubitat, resolutionem hanc a jodo expectarem, nisi analogia ab aliis indurationibus ad scirrhum deducta altius repetita sit. Non quidem opto, ut uterque morbus, quocumque loco sese manifestet, re vera pro jodum indicante habeatur; sincere potius confiteor, me occasione data plus commodi ex operatione vel tardius instituta quam ex usu jodi expectare, ideoque praesente scirrho, quem cultro adire liceat, semper operationem praeferre. Si autem operatio pertinaciter negatur, jodum remedium unicum, cum spe aliqua, etsi minima adhiberi posse arbitror. Neque vero in applicando jodo negligendum, facile vi jodi excitante scirrhum in carcinoma transire posse, quod praecipue de scirrho uteri plerumque naturae committendo valet.

14. Scrophulosis. Remedium tantum valens ad reproductionem mutandam, quantum jodum, jam expectandum est, et in vegetatione aegroti maxime prodesse. Scrophulosis vero in hominibus diversis naturam tam diversam ostendit, specie tantopere differt prout in hoc vel in illo systemate, in hoc vel in illo organo appareat, ut mirum non sit, quod medici tantum certaverint de scrophulosis

forma, in qua jodo sit utendum. Causa proxima scrophularum debilitas est functionum vegetativarum, cui jodum quoque in casu respondet, idque non eam ob rem, quod ipsum organis illis debilitatis vires necessarias tribuat, sed potius quia, ut jam supra dictum est, vasa omnia ad liquores celerius propellendos, ad processus vegetationis residua resorbenda et ad nisum materiae omissae restaurandae vegetiorem incitat. Ex quibus jam elucet, jodum per se debilitatis illius reditum non impedire, nec ideo scrophulosim radicitus evellere atque delere posse, quare, licet effectus secundarius perlongus sit, cura tamen radicalis aliis rebus, praesertim diacta apta, nonnunquam cum medicamentis conjuncta efficienda est. Utique fieri potest, ut incitatio praecipue systematis lymphatici semel facta ad exstinguendum morbum sufficiat, quod tamen ut semper fiat jodo exhibito secundum meam opinionem postulari nequit, quippe quod organa torpore laborantia solummodo incitat, quae firmare tonicorum est. Nihilominus remediorum antiscrophulosorum illud longe excellentissimum est; quum, antequam producta scrophulosim, sanationem semper impediunt, stagnationes illae et intumescitiae glandularum lymphaticarum nec non vasorum ejusdem generis, circulationem et liquorum mixtionem vitiosam conservantes remotae sint, de cura radicali cogitari nequeat. Quodsi impedi-  
menta haec etiam aliis quibusdam remediis resolvi et removeri possunt et jam saepe resoluta sunt, tamen non intelligo, cur nunc, ubi remedium celeriter, certo et fortiter agens nobis exstat, alia quae-

dam minus fortia, minus secuta et tardius agentia quaeramus, quibus cura nonnisi longior reddatur?

Num igitur jodum in quoque scrophulosim casu conducit? Prodesset sane, si morbus omnibus suis in formis characterem primarium, i. e. debilitatis retineret. Quod vero non ita se habet, nam in forma erethica et in forma torpida morbum primum diversissime expressum habemus. Forma erethica, quae systema nervosum et systema vasculosum continuo intensa tenet, ut excitantia jam minoris gradus actiones vehementes provocent, quaecumque praeterea tam facile inflammationes conjunguntur, peculiare modo cum torpore systematis vegetativi copulatae, haec, inquam, morbi forma usum jodi vetet necesse est, quia omnes jodi effectus erethismum illum adaugere et patienti molestias maximas adducere debent. Contra formae torpidae nullum remedium nec melius, nec, Deo gratias, experientia tam comprobatum opponi potest, quam jodum, scrophulosim indicationibus omni fere ex parte tam bene respondens — restituendae vasorum lymphaticorum actioni normali, removendis glandularum tumoribus; tertium vero actum, reproductio-  
nis confirmandae curam remediis tonicis tradendam esse, jam supra exposuimus. (Most) Qui tamen effectus in scrophulosim altera parte restrictus, a doctoribus Kurtzio et Lugolio, utilitatem jodi et multum in scrophularum erethicarum casibus monstrantibus, etiam oppugnatus, jodo utique opprobrio esse non potest, quia notum est, quam diversa ratione forma erethica cujusvis morbi et forma torpida tractanda sit. Cogitanti autem tibi, quam va-

rie erethismus et torpor eodem in aegroto interdum dispartiti sint, ut altero in organo erethismus praevalcat, altero torpore aperto laborante, constituentem jodi indicationis difficultas facile patebit. Lugolii et Kurtzii clarissimorum experimenta cum jodo facta felicia, in quibus nunquam molestias magnas se observasse dicunt, tantummodo ex utriusque cautione maxima, dosin nunquam granum superantem adhibentis intelliguntur. Atamen meam secundum opinionem erethismus ut contraindicans rejici non potest, quare ut jodo in praxi aliquando uti cum expectatione haud parva cupio, ita idem solummodo praesente torpore adhibere statui atque consilium firmum cepi.

Dignitas et numerus organorum, una vel altera morbi specie correptorum nos ducat necesse est, dumque applicatio jodi satis certo indicata est, saepe curationem vel apparatus antiphlogistico incipiamus, vel simul cum jodi usu hunc in organo aliquo adhibeamus oportet, ne effectus jodi noxios experiamur. Quod praecipue de inflammationibus, affectiones scrophulosas comitantibus valet, quas, antiphlogosi adhibita, eo usque sedamus, ut jodi usus permissus sit, quo ipso deinde remedio praedispositionem et causam inflammationis removemus. Itaque inflammatio non semper jodi usum vetat, sed saepe tantum applicationem ejus moratur vel methodum sanandi complicatam reddit, nisi aliae res jodum interdunt.

Faustissimi autem jodi effectus in casibus scrophulosis torpidae manifestantur, iis ubi tumores vel indurationes glandularum, cum exitu in suppu-

rationem vel in ulcerationem sese formant. Tumores brevi tempore emolliti saepe perfecte evanescent, nullam sui vestigium relinquentes; suppurationes characterem scrophulosum cito amittunt, et in granulationes optimas mox sequentibus cicatricibus firmis atque planis commutantur; omnia denique symptomata scrophulosis ingrata evanescent, symptomatibus sic dictis jodicis eorum in locum non succedentibus, jamque patiens effectum medicaminum roborantim et restaurantium optime frui potest. — Iterum repetam, remedium hoc tam diu bene ferri, quamdiu re vera indicatum sit, quod temporis spatium saepe non breve est, ita ut patientes nonnulli uncias totis jodi utantur, antequam morbus superatus sit; simulac vero systema lymphaticum adhibito jodo in statum actionis normalem rediit, effectus jodi ingrati conspiciuntur jamque tempus intermittendi remedii adest, praesertim quum effectum jodi non plane volatilem esse, sed potius per nonnullum tempus manere sciamus. Rem ita se habere observationibus cl. Colley mihi videtur optime demonstrari; quamquam enim jodo nonnisi cum mercurio conjuncto ille usus est, nec ideo observationes puras facere potuit, effectus tamen principes, quos perspexit, jodo adscribendi videntur, quum, ut ipse ait, mercurius antea per se adhibitus nullum eventum edidisset.

Idem et de blennorrhoeis scrophulosis, saepe quidem inflammationibus comitatis valet, in quibus inflammatio solummodo symptoma est. Qua propter hic nihil refert, quae membrana mucosa in

specie affecta sit, et oculi et bronchorum et canalis intestinalis et organorum sexualium membrana mucosa jodi efficaciam aequae fauste accipiunt. E quibus intelligitur, quomodo jodo diarrhoea patientis alicujus Lugolii superata sit, quae ipsi Lugolio, viro peritissimo jodi adhibendi impedimentum visa est.

Num jodo materia scrophulosa deposita resorberi possit, quaestio est adhuc non soluta eaque satis dubia.

15. Syphilis. Iam et observationes exstant, quae nobis de jodi in syphilide efficacia persuadent, et vero secundum theorias de syphilide sananda valentes nullum remedium melius et aptius existere potest, quum nullum sit, quod tam cito et tam secure reproductionem mutet quam jodum, quumque organa, morbo primum affecta — vasa lymphatica, systema glandularum etc., uno verbo systema vegetativum — eadem ipsa sint, quae et jodum vi sua praecipue tangit. Iam hisce ex rebus bona tantum modo spes remedio nostro hoc in morbo curando nasci potest. Verum enim vero et hic casus eligendi sunt, quibus jodum cum spe aliqua adhibeas, ita tamen ut in genere fortasse ex observatis concludi possit, jodum in syphilide cum caractere sic dicto hypertrophico indicatum esse, i. e. in syphilide ea, qua vegetatione perversa novae formationes, ut nodi, tumores, tubercula, condylomata, producantur. Quae tamen ad indicationem statuendam non sola nos ducant necesse est, quum ipsa in hac luis specie et mercurius vires excellentes exerceat, dum, quam mercurius

non sanet, luem jodo sanari contendunt. Melius igitur erit, ut et hic modum reactionis in corpore aegroti examinemus, characterem torpidum ut jodum indicantem agnoscentes, characterem vero erethicum et inflammatorium mercurio destinantes. Rursus nobis et hoc in morbo discrepantia opinionum de quantitate, qua remedium porrigatur, maxima se offert, dum enim Coindet mixturae suae hydriodico-kalicae joduratae doses medias, Lugol autem minimas adhibet, Bottex et alii doses permagnas, nunquam consuetas propinant, nominatim ad drachmam dimidiam per diem, idque eodem eventu bono et exoptato.

16. Gonorrhoea et fluor albus, vel in forma benigna vel in maligna optime jodo tam interne quam externe adhibito sanantur.

Alii morbi, in quibus jodo usi sunt, qui autem ob raritatem suam non pro indicantibus haberi possunt, quos reperi, sequuntur:

Stomacace gangraenosa, interdum in infantibus scrophulosis, interdum in adultis occurrens cum constitutione venoso-lymphatica.

Scorbutus. Sunt qui remedia antiscorbutica nonnulla tantummodo jodo ipsis inhaerenti vim suam debere arbitrentur, quare cochlearia officinalis, quae ad maris littora crescens efficacissima invenitur, nihil praestat, si procul a mare nascatur. Induratio penis; intumescencia pancreatis, induratio pylori; galactorrhoea, pseudarthrosis; arthritis; epilepsia; hypertrophia cordis in aetate juvenili. Angina membranacea, a Herr, Waldkirchense cum successu optimo jodo externe applicato tractata est.

Jam dissertationi finem imponam, quae quamvis manca sit et imperfecta, tamen conscribenti mihi interdum multum voluptatis paravit. Errata excusabis, lector benevole, si artis nostrae medicae pulcherrimae adhuc tironem me esse reputaveris.

### AUCTORES, QUOS SECUTUS SUM.

Gilbert's Annalen der Physik. 1821, Band 8.  
Coindet. Band 9. Clarus.

Hufeland's und Osann's Journal der practischen Heilkunde 1820. October. Formey. 1822. April. Dr. Baup. Murbeck. Juni. Formey. 1825. Februar. Gerhard von der Bosch. 1826. Januar. Hirsch. 1832. Mai. Knod von Halmenstreit.

Allgemeine Toxicologie von Orfila, aus dem Französischen übersetzt und mit Zusätzen und Anmerkungen begleitet von Dr. Hermbstädt. Berlin 1818. 2. Theil.

Rheinische Jahrbücher der Medicin und Chirurgie. Band 3. Harless.

Horn's Archiv. 1823. Juli und August. Kolley.  
Graefe's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. II. Graefe.

Rust's Magazin. Bd. 37. Dr. Kurtz.

Rust's Wörterbuch. Bd. X. etc. Artikel: »Jod, cancer, scrophulosis.«

Allgemeines Repertorium der gesammten deutschen medicinisch-chirurgischen Journalistik. 1831. Mai, Juni und August. Tünnermann.

Allgemeine medicinische Annalen des 19ten Jahrhunderts, von Pierer und Choulant herausgegeben 1821. September und December.

Neue Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde, von Ludwig und Robert Froriep. 1837. Bd. I. S. 75. Buchanan. S. 192. Jod gegen geschwollene Mandeln als Salbe. Bd. II. S. 336. Velpeau hydrocele.

Medicinische-chirurgische Zeitung, herausgegeben von Eberhart. 1821. 2. Bd. No. 43. Göllis.

Ueber das Wesen und die Behandlung der syphilitischen Krankheiten, von D. Alex. Bottex. aus dem Franz. übersetzt von Dr. Aug. Droste. Osnabrück. 1838.

Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin von Schmidt. 1834. Bd. II. S. 55. Ricord. Jod gegen hydrocele äusserlich. S. 265. Dr. Lalatte. Jod gegen Milchfluss. Bd. IV. S. 326. Bermondi Bordenex. gegen Krebsgeschwüre. 1835. Bd. I. S. 34. James Eager gegen Scropheln. S. 196. James Reid gegen struma, S. 312 Charles Laswall gegen Tripper. Bd. II. S. 111. Baudelocque gegen Scrophelsucht. Bd. III. S. 12. Coster gegen hydrops. S. 131. Dr. Friedrich gegen stomachace. Bd. IV. S. 60 gegen pseudarthrosis von Dr. Trusen. S. 312. Rattier gegen syphilis der Kinder. 1837. Bd. I. S. 70 gegen ophthalmia syphilitica, Taehlmann. Bd. II. S. 29. Dürr's epileptische Zufälle durch Jodsalbe. S. 152. Macluse gegen ver-

härtete ovaria, hepatitiso pulmonum, psydracia etc. S. 282. Dr. Jonas, gegen Salivation, Scrophelsucht etc., Ebers gegen secundäre lues und Gicht. Bd. III. Velpeau, Jodeinspeitzungen gegen hydrocele. Bd. IV. S. 154 in den verschiedensten syphilitischen Krankheiten von Buchanan.

Die neuesten Entdeckungen in der materia medica, für practische Aerzte geordnet von Dr. J. H. Dierbach, 2te Ausgabe, 1. Bd. Heidelberg und Leipzig 1837.

Lehrbuch der Pharmacodynamik von Dr. Ph. Fr. W. Vogt, 2. Bd. S. 3177—91. Wien 1832.

Dr. Aug. Fr. Heckers practische Arzneimittellehre, 3. Aufl., herausgegeben von Dr. Joh. Jac. Bernhardt 1830. 2. Theil. S. 325.

Handbuch der speciellen Heilmittellehre von Carl Sundelin. Bd. I. 3. Aufl. 1833. S. 295.

Handbuch der practischen Arzneimittellehre in tabellarischer Form von Dr. J. F. Sobernheim. Berlin 1836.

Vorlesungen über Pharmacologie von Dr. Erdmann vom Jahre 1836.

Mündliche Vorlesungen über specielle Therapie, chronische Krankheiten von Dr. Sahmen 1836.

Mündliche Vorlesungen über Weiberkrankheiten von Dr. Walther 1837, über Kinderkrankheiten 1836.

Mündliche Vorlesungen über theoretische Chirurgie von Dr. Pirogoff. 1837.

Die kräftigste und bewährteste Heilmethode der Scrophelsucht und der von ihr abhängigen Zustände. Nach Lugol's mémoires sur l'emploi de

l'ode et des bains jurés dans les maladies scrofulenses. Frei bearbeitet von Dr. A. P. Wilhelmi. Leipzig 1836.

De glandula thyroidea strumosa in genere et de ejus specie lymphatica. Dissertatio inaug. medica auctore Ag. Buesch. Dorpati anno MDCCCXXVI.

Encyclopädie der gesammten medicinischen und chirurgischen Praxis. Most. 1836. Artikel: »struma et scrophulosis.«

## Theses.

1. Hypochondriac causa materialis est.
2. Quodvis corpus alienum in cavitate crani trepanationem indicat.
3. Nux vomica non est narcoticum.
4. Homoeopathia rejicienda est.
5. Cor ut antlia sugiens non agit.
6. Bilis assimilationi maxime necessaria est.